

biberitis, mortem Dominiam munitam itis, id est, celebrabitis, cum fidei professione & gratiarum actione, donec veniat, id est, rursus appareat judicaturus vivos & mortuos. Quo ultimo adventu circumscribit durationem seculi, atq; perpetuum Cenae Dominicæ usum fore declarat. Addunt quidem deinde hæc verba. Cum quo fine & alter illusterrimus conjungendus est, unio scilicet & communio cum Christo, ac participatio omnium beneficiorum eis, quem Paulus explicat 1. Cor. x. 16, 17. quia, inquit, unus panis, unum corpus multi sumus. & cap. xij. 13. Et omnis una potatione potati sumus in unum spiritum. Sed eo ipso non obscurè significant finem illum, principalem finem non esse, & loca, quæ fini isti probando allegant, talia sunt, ut probando isti sine controversia non serviant, & alio longè referantur a quibusdam interpretationibus. Primus enim locus qui ex j. Cor. x. 16. 17. desumitur est. Quia unus panis, unum Corpus multi sumus, referri aliquando solet ad caritatis mutuæ, quæ inter Christianos vigere debet, testificationem, quatenus, videlicet, illi eodem pane velcentes, & ex eodem poculo bibentes, publicè testantur se veluti panis unus est, ita unum corpus vinculo caritatis compactum esse, quod communionem habet cum solo Christo, ejusq; cultu, & ab idolorum omnium cultu separatum ac segregatum est: Atq; hoc ipso sensu versum hunc explicat Liturgia ipsorum Censorum, quam ante Cenæ Dominicæ celebrationem prælegere in templis suis solent. Quamquam verisimilius est, si scopus Apostoli videatur, versum istum non de unione & conjunctione Christianorum inter se per caritatis mutuæ vinculum, sed de unanimi potius eorum professione agere, qua publicè testantur, se veluti unum corpus, ex uno pane participantes, eodem modo individualiter adhærere unico Domino ac Capiti suo Iesu Christo, qui pro ipsis mortuis est, ejusq; unius cultui & obsequio sic devotos ac consecratos esse, ut cum aliis omnibus Idolorum cultibus commune nihil habere velint. Unde rectè Beza communionem exponit, per efficacem tesseram nostræ cum Christo conjunctionis, atq; adeo incorporationis. Communio itaque hic non significat realem cum ipsa physica corporis & sanguinis Christi substantia unionem, sed tantum professionem unius ejusdemq; cultus significat, quo Christo unius Domino suo adhærent Christiani, & quam solemniter testantur, cum memoriam mortis ejus celebrant isto ritu, quem ipse instituit; uti apparet ex vocis istius usu in sequentibus, ubi qui victimas Iidis immolatas edunt, κοινωνοι dicuntur altaris vers. 18. & mensæ Demoniorum, vers. 21. adeoq; ipsorum demoniorum vers. 20. Alter

Sensus loci  
1. ad Co. inth.  
x. 16. 17.

Rrr locus,